

374

372

378

lux advenisset, laeti anchoris levatis procedere coepimus, sed nulla
vis venti affuit, et omnes impetuosi nocturni venti abierunt, et cum
hoc coelum nubibus atris opertum nullum sidus ostendit, quorum
ductu et solatio navigantes procedunt die noctuque, insuper pluvia
inundavit magna, et factum fuit tempus intemperatissimum navi-
gationi, unde a pelago recessimus et Illyricos montes ingressi in
portum desertum devenimus, ubi et alias duas galeas reperimus
de nostris, eadem infelicitate de mari fugatas. Ibi ergo anchoras
ejecimus et navem cautibus et tonsillis alligavimus et ita tristes
sedimus in loco horribili et deserto, ubi nulla ecclesia nec capella
erat, quia nulla hominum commoratio ibi fuit in illa Tortula.

368

383

363

423

323

473

273

Vicesima octava die, quae est sanctorum innocentum, et erat
dominica infra octavas nativitatis Christi, mane solvimus navem
et vento bono aspirante celeriter via optata navigavimus, et ad
Lesinam insulam venimus, quam tamen pertransivimus festine; in
ea insula et civitate aliquibus diebus degui in prima evagatione
mea. Est enim Lesina insula maris Dalmatiae, quae justo nomine
vocatur Pharum, rupibus abruptis undique e mediis fluctibus pro-
minens, in cuius cornu est civitas nova, sita in regione Liburniae
vel in Illyride, et dependet ad latus alti promontorii, a quo emit-
tuntur duo cornua in mari, in quorum medio est portus securus
et bonus. In cornu uno habent fratres nostri Praedicatores con-
ventum, in alio fratres Minores. Conventus noster est arctus,
quia ex una parte mons, ex alia parte arcuat mare, verum licen-
tiam habent locum ampliandi, si in profundum maris jacere fun-
damenta volunt, vel si de monte descendere et saxa removere placet
[et] possunt; et utrumque fecerunt maximis impensis et laboribus.
Singulis enim diebus certis horis accedunt fratres ad rupis parietem
durissimam et ferreis instrumentis fodiunt et scindunt locum sibi
ampliantes, ea autem, quae rescindunt, in mare mergunt, et sic
uno labore in monte et in mari spatium quaerunt. Sunt enim
boni fratres ibi de observantia, et est ibi fratrū bonus locus, si
non esset adeo angustus. Indigerent illi fratres oratione S. Gre-
gorii veteris potenti, qui angustia montis et maris pressus non
potuit, ut desideravit, ecclesiam aedicare, eo autem orante ces-
sit mons, dans spatium sufficiens, ut etiam supra patet Fol. 87.
In alio cornu simili incommodo fratres Minores sibi locum amplia-
verunt, pulchrum conventum habentes. Ego cum quibusdam pe-

Ende

Anfang

